DISSERTATIO
De
VOMITU GRAVIDARUM,

Quam,

Favente DEO,

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO, Phil. & Med. D. ac P. P. Consiliario & Archiatro Würtembergico, h. t. Facult. Med. Decano,

Domino Patrono ac Præceptore suo ætatem sanctè colendo,

Publicè ventilandam proponit

h. l. q. c. d. Augusti,

Eberhardt Backmeister / Tubing.

Literis GREGORII KERNERI,
Anno 1682.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30766394

Q. D. T. O. M. B. V.

Mulierem omnem morbum bis pati vulgò dicunt. Cujus dicterii rationes hîc non examinabo; Perpendens tamen, quæ in tenera muliebris sexus corpora mollesque habitus sæviunt mala, structuram eorum multoties invertentia, si non penitus corrumpentia, haud pauca, quis non compatietur? Qualem Tyrannidem agat in eas menstruus nunc depressus, nunc exaltatus fervor, nunc deficiens, nunc solito copiosior fluxus, ipse loquantur miseræ: Quantis agitentur malis maritatæ demum tota die obvium est; Dicam tantùm de tempore imprægnationis, ubi nunc in insolitarum rerum desiderium appetitus eas vocat depravatus; Nunc nauseabundus earum Ventriculus omnem respuit cibum; Nunc invertitur quasi & vomere vel tota die, vel statis quibusdam diei horis ac temporibus cogitur: sicco transeo pede atrocissimos dolores, quibus ultimis præsertim imprægnationis mensibus, dum fœtus fortiori jam jam gaudens motu in suo habitaculo sensim sensimque se ad exitum disponere, ac ita pristinum suum situm mutare, fermentatio ad partum disponens vehementer se exerere, incipit. Singula hæc pertractare ac explicare animus in præsens mihi non est, unum tamen ex hisce symptomatibus gravidis multis maximè familiare ac interdum satis molestum, *Vomitum* nimirum exercitii Academici gratia, non tractatum sed Theses propositurus, quantum ingenii mei permittit imbecillitas, nunc describam; *Quod ut feliciter cedat, Summi Numinis Directionem & Aßistentiam devotis imploro precibus.*

THES. I.

Ἔμετος, *Vomitus*, ab ἐμέω, vomo dictus, das erbrechen / übergeben/ in genere, quid sit, & unde dicatur, hoc nostrum malum, das erbrechen der schwangern Frauen quid nominetenus velit, simul & quàm variæ & diversæ causæ Vomitus in genere sint, quàm varia, solida, anima-

ta, naturalia, artificialia visa, humorosa diversa, vaporosa plurima per istum ejici observata sint, prolixius recensere meum non est. Thema meum est particularis Vomitus, certa ejusdem species: *Non* autem iste Mariti *Vix Bohn* nominati qui uxoris suæ, quando gravida facta fuit, personam egit, dum Maritus pro uxore vomebat, & pica laborabat; filium gignens, qui maritus jam factus talia, qualia Pater, seu patiebatur, seu agebat, fœmina non vomente, ceu talem observationem communicavit *Collectoribus Ephem. Germ. insertam Ann. 2. obs. 216. Curiosiss. Dn. D. Reiselius Archiater Würtembergicus Patronus meus Colendus*, cui *Scholij* loco elegantis quædam ex *Primirosio de error. vulg. in Medicin. lib. 2. c. 13. p. 66.* addita sunt *l. c. à Celeb. Sachsio p. m.* vid. *Primiros. l. d.* *Non* ille, cùm menstrua turgescentia per Vasa non uteri, sed Ventriculi protrudit sanguinem, qualia exempla *Timæus Cas. Med. l. 4. Cas. 12. p. 211. Eph. Germ. Ann. 1. obs. 95. ac Ann. 6. obs. 49. alibique Alij adducunt. Vias vide apud Excellent. Dn. D. Mezgerum, Profess. Hujus Academiæ Famigeratissimum Patronum ac Præceptorem meum æternùm colendum in disp. ad Aphorism. Hipp. 31. 32. 33. Sect. 5. Them. 2. quæst. 4.* *Nec*, quem cruentum, vase brevi p. n. reserato, observavit Vomitum *Celeberr. Wedelius dict. Ephem. Ann. 9. & 10. obs. 20.* *Nec*, quem *idem test. Ann. 3. obs. 7.* feliciter curavit, in multis gravidis cum febre Petechiali & Dysenteria Epidemica junctum. *Nec* iste, qui Matronæ cuidam salaci, quotiescunque Venerem exerceret, accidit, rejecta materia quadam albicante, modicæ tamen quantitatis, tenuiori semini non absimili, observatus à *Curiosiss. Hertodio Eph. dict. Ann. 1. obs. 4.* *Nec* denique, qui gravidis etiam quibusdam, ubi mari vel rheda vehuntur, accidit, quia & viris & fœminis quibusdam familiare est malum.

II.

Sed est, de quo acturus brevibus sum, *Vomitus Gravidarum*, quem describo sequenti modo: *Vomitus Gravidarum est excretio fluidorum variorum, nonnunquam solidorum per gulam in gravidis, proveniens à convulsivo Ventriculi motu, dum spiritus animales ibidem irritati à rebus per conceptionem genitis aut motis, molestum per illam expellere conantur.*

III.

Excretionem ipsa nominis ratio dicit, & relatio detegit. Plerumque fluida, rarius solida, cibi nimirum inconcocti rejiciuntur. *Subjectum*

jectum ſunt Gravidæ, & quidem hic Ventriculus ac Gula, quod quia hoc malum non experitur, niſi in ipſum agant cauſæ, ipſas nunc luſtrabo. *Cauſa immediata & proxima* eſt ~~motus~~, quem ipſa αὐτοψία non ſolùm quoad exteriorem regionem, ſed & in vivorum ſectione animalium ſcrutatio interiorum monſtrat. Motus eſt *depravatus*, quia hæc naturaliter excretioni deſtinata non eſt via, quia illa, quæ irritant ad naturalium claſſem minimè, ſed ad p. n. ſpectant, quia motus ipſe eſt *Convulſivus*; talem enim hic eſſe & formalis ratio, & ſubjectum, & cauſa docent. Tali in motu Ventriculi conſtringitur fundus cum lateribus, quaſi obvolvitur, invertitur, pylorus occluditur, ſiniſtrum aperitur orificium, hæcque ſingula cum impetu fiunt, motum iſtum fibroſis Ventriculi corpuſculis inſtituentibus. Hic motus eſt Ventriculi irritati; Facultatem alii irritari dicunt, alii Archæum, quod per me licet; Poſui ego *Spiritus animales* ſuo inſtructos præſide, quia naturalis Ventriculo non penitus denegandi motus cauſa ſunt, hinc etiam p. n.

IV.

Res autem *irritantes*, talem moleſtiam inducentes, ut in illum & non alium agatur Ventriculus motum, variæ ſunt: *Spirituoſæ ſ. Vaporoſæ, Humoroſæ & Solidæ. Vapores*, Halitus, Flatus, è minera p. n. effervescentiâ degenerante, exurgentes, haud rarò hoc præſtant, conatum aliquando vomendi inanem, aliquando vomitum vel ciborum ac potus, vel ſucci laudabilis, vel illius mineræ, vel per compreſſionem & motum iſtum bilis ac Pancreatici ſucci inducentes. *Humoroſa* frequentiſſimè, modò ſulphureis, ſalinis, acribus, volatilioribus, fixis nimis activis, modò depreſſioribus, auſterioribus, minus activis, modò hac, modò illa textura ac figura, modò ſeroſis, modò bilioſis, modò pituitoſis, melancholicis particulis tinctæ, irritare dicto modo ſolent. *Solida*, præſertim alimenta, ſæpe idem agunt. Et quidem ſingula hæc *qualitate* aliquando *irreducibili*, aliquando *reducibili*, aliquando *quantitate*, aliquando *motu*, *loco*, nunc uno, nunc pluribus horum modorum lædendo.

V.

At, unde iſta cauſarum *ſcaturigo*, unde iſta ipſarum diſpoſitio, textura, variæ *Celeberrimorum Authorum* ſunt ſententiæ, quos veneror ſingulos. *Mihi* videtur, per conceptionem, quam in deſcriptione poſui, non ſolùm maſſam ſanguineam cum ſpiritibus quà particulas ſuas

multum immutari per istam liquoris maris genitalis spirituosi cum ovulo sive vesicula fœminæ conjunctionem, sed & cessare istam menstruo tempore, per singularem effervescentiam, turgescentiam, & per uterum evacuationem aliàs solitam, obviarum si adsunt in sanguine particularum heterogenearum cum ipso eductionem. *Illud* ista, quæ mox post conceptionem factam obveniunt mulieribus symptomata aut alterationes, carnium brutorum mox post conceptionem mactatorum immutatio, actionis ipsius singularitas, & spirituosorum in humano corpore maxima vis docent: *Hoc* particularum in fervorem s. turgescentiam agentium immutatio, defectus, ipsarumque uteri fibrarum, tubulorum & ductuum aliena dispositio efficit, & probè sanarum à tali Vomitu libertas suadet. *Dubium*, quod Vomitus in iis, quibus etiam graviditatis tempore fluunt menses, observetur, solvo, primò: Rarum est, fluere isto tempore menses. 2. Rarissimum, tales vomere. 3. Si Vomunt, è causarum adductarum biga priorem prædominari certum est. Et hæc dum pono, non contradicere me censeo iis, qui fermentum heterogeneum in sanguine ponunt causam hujus Vomitus, qui Spiritus circa fœtus formationem in utero occupatos, Ventriculum ac primæ digestionis negotium deserentes, inde charactere vitali destitutos, crudos humores genitos & Ventriculum lacessentes accusant. Non autem sentire idem cum illis, qui subsistentem, impurum, corruptum sanguinem menstruum accusant. Modum autem conceptionis hîc desiderantem, cùm ea huc non spectet controversia, ablego ad Naturæ Consultissimos, *Bartholinos*, *Barbat. Bohn. Diemerbræck. Dolæum*, *Elsholtium*, *Harvæum*, *Hornium*, *Kerkrig. Malpighium*, *Ruyschium*, *Stenonem*, *Sladum*, *Schwammerdamm. Wedel. Wepfer. & Alios.* *Harvéana* vulgari modo exponi solita magnis mihi videtur Medicis, Philosophicis & potissimum Theologicis premi difficultatibus.

VI.

Illa a. sanguinis ac spirituum per conceptionem immutatio faciles invenit vias, facilem monstrat modum; spirituola enim, si pori vagi non arrident cuiquam, per vasa tamen huc illuc ferri nullo negotio, spiritus corporis nostri per unanimem conspirationem se invicem afficere, sub tali naturæ Conamine, sub tali maris & fœminæ actione possunt. Motum autem istum, concussionem, copiosiores spiritus affluentes, calorem

rem largiorem, solùm pro causa non adducerem, quia singula hæc in coitu, nulla subsequente conceptione, adsunt. Dum igitur illa fit spirituum & Mæ. Sæ. immutatio, dum illa depuratio solita cessat, Ventriculus varia etiam tingitur labe. Hic enim non infimum corporis nostri viscus, maximas in ciborum mutatione, medicamentorum actuatione, communicatione & cudendis morbis exerens vires, & hoc in casu multum quà temperiem vulgò dictam potissimum, imò & haud rarò conformationem & unitatem immutatur modò hac modò aliarum particular um textura & dispositione, unde aliquando nostro symptomati, Nausea, fastidium, aliquando Pica jungitur, aliquando appetitus viget, sed semper tali, quæ spiritus in istum agat motum. Sæpiùs autem à proprio immunis vitio ab illuc sive ab extra per os, sive ab intra cum sanguine, sero, aliisve humoribus, vaporosis item variis ac spiritibus inquinatis, communicatis rebus molestantibus, irritantibus, huic malo se exponere cogitur. Tales autem particulæ nunc denuò gignuntur, nunc genitæ sed subjugatæ moventur, paucæ cumulantur per istam immutationem; Genitæ nonnunquam antequam maturitatem adipiscantur debitam, latent aliquandiu. An *Acidum*, an *Alcali*, in talibus agat, si sciscitaris, utrumque prout communiter describuntur, admitto, in eam tamen exaltatum acrimoniam, ut hunc spasmodicum inducat motum. Haud rarò tamen sola irritat nimia quantitas. Cum autem istæ cessant, desinunt aut immutantur causæ, mox etiam cessat effectus. Quomodo ex ista causarum biga alia etiam gravidarum deducenda symptomata, aliis relinquo.

VII.

Juvant has causas adductas quamplurimæ, *Res Naturales* & quidem inter has *Temperamentum*: Aptius est id, quod magis recedit à debita calidi, spirituum & sanguinis dispositione ac textura, accedit verò propius ad degenerationem istorum, quæ irritare solent. Inde, quæ cacochymo & impuro præditæ sunt corpore, proniores ad hoc symptoma sunt. *Ætas*, quæ nimis juvenilis adhuc in quibusdam fœminis Venerem jam exercentibus in tantum ad tale disponit malum, quantum tener earum habitus, nondum adhuc huic sufficit actioni, unde totum corpus facilè pervertitur. Cum in quibusdam gravidis augeatur malum cum numero etiam mensium ingravidationis, suspicari licet provenire id à sæpius repetita in & exspiratione cum ea iis non ampliùs de-

tur

tur perfecta ob molem fœtus totum abdomen, cujus incola etiam Ventriculus, implentis, & per consequens diaphragma sursum pellentis, inde & pulmones comprimentis, unde hi crebritate compensant, quod uno naturali actu aliàs solito iis denegatur, ita ut à levi aliquo heterogeneo Ventriculus jam à compressione & frequenti pulmonum motu irritetur perfectius, agaturque in motum hunc depravatum. *Hæreditariam dispositionem* non rarò quid hic valere observavit *Excell. D. Præses.* *Vita sedentaria* huc etiam quid confert, hinc rusticis & laboriosis fœminis malum hoc tàm familiare non est.

VIII.

Sequuntur *Res Non-naturales* & primò quidem *Aër* pro ratione temporis multis excedens modis, nunc humidior justo nunc siccior, nunc copiosior, nunc paucior, interdum & impurus variis heterogeneis miasmasi tinctus, omnibus tamen modis irritans. *Cibus & potus*, qui vi gaudent maxima gignendi morbos, unde Authore *Fernel. lib. 1. pathol. c. 14.* una gula omnium propè morborum est Mater; quod dictum si nullibi, in gravidis tamen magni est valoris, cum aliquando præ aliis sequioris sexus suis nimium indulgeant affectibus, & immoderatè non solùm in cibos & potus cujuscunque generis, sed & alia insolita ab appetitu ferantur depravato, unde quantitas, qualitas, modus, & alia alimentorum adjuncta peccantia nolentem volentem Ventriculum irritant, & ad suam quasi inversionem sequi cogunt, haud rarò immediatè irritantis causæ vicem subeuntia. Quid efficiant in hoc promovendo malo *Motus & Quies* nunc in excessu, nunc in defectu, tota die obvium est, motus quidem excessivus Massam totam sanguineam agitando, spiritus turbando non solum, sed & consumendo: Quies non licita transspirationem & exhalationem fuliginum impediendo, spiritus quasi supprimendo, ac ita saburram vitiosorum humorum cumulando, unde hi tandem acriores fiunt ac irritando nervosas partes lædunt; cum his pari modo agunt & *Somnus & Vigiliæ. Animi Pathemata*, ubi quædam consistunt in expansivo spirituum motu, unde subitæ irritationes, quædam in concentrativo ubi quasi ad unum vocantur, unde orgasmus in interioribus oritur, itidem inversionis parens, quædam mixto jactant motu, non nihil hic agunt. Claudunt has res *Excreta & Retenta*, quale autem huic malo hæc addant momentum prodit duplex eorum modus agendi, quatenus excer-

nuntur

nuntur retinenda, ac retinentur excernenda, aut debito modo ac quantitate non excernuntur. Non inanem etiam causam suadet ratio Veneris usum, cui indulgent sæpe nimium mulierculæ in primis duobus vel tribus mensibus, interdum insciæ impraegnationem esse factam, cum ergo jam antea talem Characterem sibi impressum habeat habitus gravidæ, non mirum si crebrior Veneris repetitio etiam auget malum; nec ipsa hic deest experientia, si enim apud *Rolf. Cons. lib. 2. Cons. 12.* Epilepticam dispositionem auxit, quod Mater tempore gestationis Venereis exercitiis miris modis fuerit delectata, quid obstat, quo minus & hoc fiat tanquam minus & levius Epilepsiâ malum.

IX.

Quanto conatu agant in promovendo hoc malo res p. n. quam plurimæ, vel vitio conformationis, unitatis solutæ, vel intemperiei, Medicorum notant Observationes; viscus quodvis, pars quævis, suo non fungens officio, proprium corrumpens alimentum, tales inimicas ventriculo transmittere valet particulas. An maritorum morbi in augenda hujus mali causa, præsertim eorum vomitus quibus interdum quotidiè laborant, aliquid conferant, non dubitandum, cum id commodè fiat communicatione particularum spirituosarum per liquorem genitalem, qui secundum *Excell. Wedel. in physiol.* est quinta quasi essentia, extractum humorum, elementa & idéam hominis continens.

X.

Non omnis tamen Gravidarum Vomitus *uniformis* est. *Quidam* enim vehementem, *quidam* levem junctam habet molestiam, pro ventriculi dispositione, & materiæ excernendæ aptitudine vel ineptitudine: *Alius* invadit gravidam manè, *alius* vesperi, noctu *alius*, *alius* post prandium aut cœnam; *alius* quavis ferè hora; *alius* certum observat typum, *alius* nullum, *alius* educit copiosam materiam omnemque ingestum cibum; *alius* tantum viscidam quandam & paucam; ab *alio* benè se habent gravidæ; ab *alio* malè; *Alius* incipit ipso quasi conceptionis momento; tardius *alius* præterlapsis aliquot nunc diebus, nunc septimanis, nunc uno vel altero mense; durat *alius* nunc per totum impraegnationis tempus, terminatur *alius* in primis vel mediis statim mensibus, pro diversa ratione subjectorum, liquoris genitalis, ovulorum, conceptionis & accidentium aliorum, pro tempore impraegnationis. *Ejicitur* in *hac* Gravida Cibus, Potus, in *alia* chylus, in *ista* biliosa Collu-

vies, in *illa* pituitosa saburra, in *altera* sanguis etiam sive purus s. mixtus, in *Quadam* variorum miscela humorum, sæpè sponte absque insigni conatu aqueus humor ejicitur. Rarissimus est casus, quem observavit *Curiosiss. Scharfius & Eph. G. Ann 9. & 10. in observ. 6.* tradit de muliere, quæ à primo conceptionis mense usque ad ultimum singulis diebus vomuit sanguinem nonnunquam floridum, nonnunquam aliquatenus coagulatum, in satis magna & unc. 8. quantitate, sine tamen noxa vel graviori læsione, integra cæteroquin valetudine usa.

XI.

Vomitum ipsa Medico *detegit* Ægra consilium petens. Ast, *an* à graviditate, *an* ab alia causa, prudentis discernere est Medici. Remitto ad *Practicorum* & *Gynæciorum* libros, ubi prolixè graviditatis recensentur signa non hic exscribenda, quæ tamen ceu in quibusdam non paucis casibus, sub priorum tempus mensium infallibilia non sunt, ita & primo mox tempore Vomitum ab imprægnatione oriri vel affirmare vel negare nequit Medicus, usque dum cum tempore certior fiat; *In quibusdam* dixi *Casibus.* Aliquando, licet rarius, Vomitus jungitur falsis conceptionibus; Adsunt enim nonnunquam graviditatem mentientes molæ variis figuris, textura ac aliis adjunctis præditæ, ovum, quod post excluditur, gestantur varia in utero animalia, decipit sub imprægnationis specie Hydrops, extendunt Ventrem tumores, abscessus & similia, Æolius & Anemius partus, de quibus plures notatu dignas observationes vid. *in Eph. G. Ann. 1. observ. 1. Schol. Ann. 3. observ. 218. Ann. 6. observ. 45. Act. Hafniens. Vol. 2. observ. 3. Mæb. Med. physiol. c. 20. & Curiosiss. Schröckÿ Scholio ad Hellwigiÿ observ. 124.* *Signa* discernantur, quæ uni vel alteri tali affectui propria sunt, recensita locis dictis. Potissimum perpendendum, an Molæ aut alterius affectus signa absint & imprægnationis adsint, Medico; nam mulierculæ absque hujus consilio falluntur frequenter, imò etiam ab ipsis Medici non debitè, sed secundam suam opinionem referentibus. Rariores autem tales sunt casus.

XII.

Malum hoc primo intuitu per se ita consideratum *non* adeò videtur *periculosum*: *Non* adeò *malus* est is, qui accidit Vomitus jejuno Ventriculo, qui absque singulari fit molestia, cum enim natura

sui

sui sit studiosissima, id tantum eam ejicere in illo Vomitu credibile, quòd secretum jam in Ventriculo à laudabiliori materia ineptum planè ad ulteriorem coctionem, fœtusque nutritionem judicavit. Post tertium sæpè mensem sponte desinit. Qualiscunque sit, quæ ejicitur, materia, haud rarò à provida natura & robusta ad Matris & fœtus salutem educitur; Quantum in Gravidis naturæ aliquando sit robur, præter alios plures docet casus quem cum *Angelo Colio Senensi philosopho in Nosocomio S. Spiritus Romæ observavit Ioh. Faber. Lynceus. Exposit. in Nardum Recchum f. 493.* dum, quamdiu gravida fœmina, Natura Rabidæ canis morsus venenum subjugavit, à partu ipsa subjugata. Hinc *Nicol. Rocheus de morb. muliebr. curand. c. 24.* quarto mense picam quiescere dicit, partim, quod vomitione vitiati humores expurgantur. *Hippocrates* definit *s. 1. aph. 2. In Vomitibus spontaneis si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt.* Tales prægnantes plerumque habere fœtus pulcherrimos, quia nutriantur per Vomitum depurata sanguinis materia, perhibet *Hœferus Herc. Medico l. 7. c. 3.* A levamine per hunc Vomitum argumentari nimios Vomitorium Patronos conqueritur Ventriculus apud *Swalve p. 210.* Sed contra *minatur periculum*, qui immediatè vel prandium vel cœnam excipit, omnem iterum educens cibum, qui mox in alimentum fœtui cedere debebat; Qui nimius est tàm quâ quantitatem, quàm conatum ac motum ipsum, ceu enim quæcunque valida evacuatio abortum procurare potest, monente *Heurnio de morb. mulier. c. 7.* ita talis potissimum Vomitus Immoderatus, ut notat *Massarias. Prælect. de morb. mulier. c. 11. pag. 331. Barthol. cent. 1. hist. anat. 19.* in summo vomendi conatu, quo uterum gerentes miserè sæpiùs exercentur, Venulam in faucibus non rarò rumpi suspicatur. Qui gravia alia juncta habet aut inducit symptomata.

XIII.

Accingenti ad *Curationem* obvenit locus *Epiphan. Ferdinandi Hist. 13. Semper dubia, difficilis, gravis, anxia, est gravidarum cura, neque semper æquale impendet periculum: quare semper cum plumbeo pede ambulandum esse reor, ac omnia agenda cum præmeditatione. Platerus Prax. l. 3. p. 802.* monet diligenter observandum, si prægnantibus

tibus mulieribus contingat Vomitus;ut omittantur medicamenta; quæ illas incommodant. Sæpiùs planè *nullam* requirit curationem Vomitus de quo agimus, & sic nihil agendo rectè agit *Medicus*, cùm nim. educuntur educenda, gravidæ nullam planè exinde experiuntur molestiam, citra etiam virium jacturam, si ab illo melius habent, quod præsertim in matutino Vomitu, quem provida natura ad sui procurat conservationem, fit, aliquando ne gravius malum causâ nobiliori parti gravius adhærente accersatur. *Ille* autem, qui manifestè corpus lædit, matrem & fœtum enervat, ut dicit *Sebizius man. pract. p.5. s. 3. c.5.* qui nimius est & periculum minatur, indicat *sui remotionem*, *nonnunquam mitigationem*, quod agit Medicus *motum inhibendo*, *causas irritantes imminuendo*, *temperando*, *immutando*, *enervando*, *Spiritus & Ventriculum roborando*, *demulcendo*, *sopiendo aliquando*; quæ executurus è triplici communiter proposito penu depromit auxilia.

XIV.

Ex *Chirurgicis* autem remediis primò sese offert *V. S.* quæ an conducat omnino in gravidis controvertunt *Authores*: nimis impetuosus sanguinis motus, effervescentia nimia & plethora si adest utique V. S. conducit. *Laz. Riverius*, inquit: *Experientia docuit Vomitum, qui frequenter prægnantes (loquitur de plethoricis) infestat, à S. M. plurimum sublevari imò in totum auferri, si usque ad solutionem symptomatis singulis mensibus iteretur.* Posteriori quidem modo *Nostrorum Medicorum* non subscribit praxis. Cùm sanguis impurus aut rancidus materiæ incongruæ penum subinde novum Ventriculo suggerens diathesin Emeticam infert, Gravidarum Vomitiones hoc remedii genere crebro sanari testatur *Willis. pharm. ration. sect. 2. cap. 3.* & cum illo *Excell. Bonetus* ☿. *compital. p. 731.* Venam autem non tali, sed brachii aut manus eligere solent. Salvatellam dextræ manus tundere jubet *Mercatus de Mulier. affect. l. 3. cap. 12.* Suam etiam hic laudem merentur, *Cucurbitulæ Scarif. Fonticuli*, *Hirudines* ac *Vesicatoria*, cum omnia unum eundemque agnoscant fontem, ex quo hauriant & educant, M. scil. sanguineam. Tutior autem sanguinis missio in mediis quàm primis mensibus administrata (nisi adsit summum periculum) ob metum abortus quæ à commotione, agitatione, & secundum *Avicennam 4. 1. c. 20.* conturbatione

batione sanguinis ejus missione procuratâ, maximè metuendus, præsertim cum fœtus in primis mensibus adeò tenellus sit, ut ex quacunque causa possit periclitari. Constrictiones manuum & pedum præsertim à cibo, & frictiones laudat *H. ☿rialis d. morb. mulier. lib. 1. c. 4.*

XV.

E *Pharmacia* depromimus *Vomitoria*, quæ rarissimè conveniunt, cum nimir. copiosa materia non evacuatur per hanc aut aliam viam, huc inclinat & ægras valdè torquet ac urget. Lenissima autem si opus, dentur, vel propriè dicta, vel lubricantia. *Curiosissimus Hagendornius* prægnantem à Melancholia hypochondriaca vomitorio liberatam tradit *Eph. G. Ann. 9. & 10. observ. 53.* Non autem ibi junctus erat Vomitus. Sin per *Alvum* copiosam talem materiam educere animus est *Medico*, Lenientia exhibeat ubivis obvia. *Diuretica* (non nimium menagoga) & *diaphoretica* Mam Sam & in hoc casu ab heterogeneis liberare particulis educendo valent. Maximum hîc conferunt momentum non tàm *Evacuantia*, quàm *Alterantia* modis antea dictis in causam morbificam agentia, simulque modicè in omni casu adstringentia s. fibrarum tonum roborantia, Spiritus in ordinem redigentia.

XVI.

Causæ nimiam acrimoniam corrigunt, immutant, enervant unaque adstringunt & spiritus mitigant, motum refrænant frequentius *Excellentissimo D. Præsidi* præscribi solita in *Colleg. privat.* commendata. *Lap. 69. CC. crudum & præparatum variè. Tunic. ventricul. gall. unicorn. utrumq. Ebur. Fl. balaust. pap. err. ros. r. L. Santal. r. Corall. Crystall. Hæmatit. Bol. arm. ♂ialia quædam. acetos. agrest. acetosell. fol. querc. burs. past. plantag. tormentill. bistort. mastich. el. grana. cherm. sem. pap. alb. Berberes. mal. granat. citr. cydon. terr. sigill. acet. ros. rubr. Varia ex his & similibus composita.* Spiritus restaurant, suscitant, vigorant, viscidum mucum immutant, simulque villos roborant *Castor. cort. citr. arant. cinam. croc. macis. nux m. Garyophyll. bacc. junip. Bals. de Per. absynth. utrumque. card. b. menth. lign. Aloës. sassafr. ambr. grys. rad. acor. ari. chinæ, zedoar. zinzib. sem. anis. fœnic. N. indic. condit. vin. malvat. & ex his parata Varia. Ol. nucist.*

 expreß.

expreſ. grano minus in juſculo calido exhibere, frequenter *Trag. pro prægnantib.* ante laudata *abſorbentia* miſcere ſolet *Exc. Dn. Præſes.* Juvant hæc & ſimilia medicamenta, dum ventriculo communicata ſpiritus quieti ibi dant (unde & alibi in corpore tranquillantur) chylum, fermentum, & alia quæcunque contenta corrigunt, ſanguinem etiam per circulum continuo allabentem immutant, &, nervis ibi roboratis, per conſpirationem alii etiam ſolamen accipiunt, imò & ſanguini per vias ordinarias aliquid communicari nullus dubito. Acidulæ & Thermæ ſub extraordinario at debito modo ac regimine & hic in uſum vocandæ ſunt. Cum valdè urget vomitus gravidasque ita affligit, ut metus non inanis adſit abortus, *Sylv. Prax. l. 3. c. 6. p. m. 536.* ægras vocat ad *Opiata & Narcotica*, utpote ſenſum omnem obtundentia, humorumque acrimoniam temperantia, nec non eorum vitioſam efferveſcentiam comprimentia, quo pacto felicius tùm remedia alterantia, tum ipſa alimenta aſſumi credit. *Papaverea* cum aliis mixta magnam hic merentur laudem. Quo autem modo quave *formula* interna hæc debeant propinari, non inutilis videtur quæſtio; Reſpondetur autem reſpiciendam eſſe & conſuetudinem ægræ in aſſumendis medicamentorum formulis ejusq; diſpoſitionem; omnibus autem formulis *Exc. Wedelius de compos. medicamentorum p. m. 120.* præfert *pilul.* in affectibus ventriculi ex hac ratione, quia diu manent in ventriculo & eidem ſunt acceptæ, adeoque intimius ibi vires ſuas explicant; id quod eo melius, quia ita ſenſim ſenſimque in fermentum peccaminoſum à Ma. ſanguinea ope circulationis continuo ventriculo communicatum, agere, ac ita hoc magis corrigere poſſunt. Conducunt & *pulveres. Potiones* exhibentur confortantes & aromaticæ, ſimiliumque virtutum *Electuaria.*

XVII.

Externè res peragitur Emplaſtris, Unguentis, Balſamis, Cataplasmatibus ac ſimilibus, ipſius ventriculi regioni tam anteriori quam poſteriori ex *Avicennæ* Conſilio applicandis ut ſunt, *ol. Maſtich. cydon. nuciſt. expr. lumbric. Bals. de Per. empl. de tacamahac. cruſt. pan. toſt. abſynth. & acet. ros. rubr. conſperſ. pulm. ex cydon. & placent. mellit. c. vin. malvat. & ſimilia. Martinus Akakias d. morb. mulieb.*

l. 2.

l. 2. cap. 3. languere ſtomachum gravidarum dicit propter frequentem vomitum, & hinc roborandum. Tanquam certum experimentum commendat tabulam eburneam ventriculo applicitam *Louyſe. Bourgois. d. obſtetric. l. 4. c. 30. La Commare dell Scipione Mercurio*, Mala citr. arant. granat. maſticare & iterum exſpuere jubet *d. obſtetric. part. 1. cap. 22. Excell. Welſchius in Scholiis* à cibo cochlear aquæ cinamom. cydoniat. commendat. Omne remediorum genus hîc ſuperare Decoctum majoris chamæmeli ſcribit *Ioh. le Bon. Therap. puerperar. partic. 6.* Vinum Cydonior. laudat *Camerarius de gravid. & parturientib. part. 1. particul. de Nauſea & Vomitu. Herlicius d. cura gravid. puerperar. & infant. cap. 16.* pedes & manus frigidæ in cauſa calida, in frigida verò calidæ immergere jubet aquæ; & poſtipſum *Pfizer de mulier. conſtit. & morb. l. 2. part. 5. cap. 3.* Syr. de Agreſt. *Hiltprand. de gravid. & obſtetr. part. 2. cap. 11.* ſingulare muſtum præſcribit *Lud. Bonnaciol. Ennead. muliebr. cap. 4.* Sorba aſſumpta *Foreſt. obſerv. libr 28. Schol. obs. 45. Pictorius* elegantem Tragæam ex Corall. alb. & rubr. ſem. Coriandr. lign. aloes. Galang. Garyophyll. Spec. roſat. novell. diarrh. abb. Cinam. & Sacch. ſuadet *de gravid. c. 17.*

XVIII.

Claudit agmen *Diæta* plerumque in hoc malo primum tenens locum, hæc enim ſæpè ſi ſtringitur, Vomitum iſtum absq; aliis compeſcit medicamentis: A cibo peptici juvant pulveres ſuadente *Sennert. prax, l. 4. part. 2. ſ. 5. c. 4.* Levamen quærant ægræ in legitimo 6. rerum nonnaturalium uſu, ac affectibus ſuis frænum injiciant; præſtat in Vomitu illo prandium vel cœnam immediatè excipiente, ſæpiùs in die ſed paucum & bonum edere, ut tamen aliquid ſenſim ſenſimque pergere poſſit in nutrimentum & fœtus & matris. Pro cauſæ diverſitate bibat Hæc *frigidam aquam*, Alia *vinum*, aliquando etiam aromatiſatum *Hippocras* vulgò dictum, *Malvaticum*. Vinum *rubrum*, in quo ☉um, vel chalybs, vel ſilices ignit. extinct. pro cibo, digeſtu faciles carnes, volucrum, aſſas potius quàm elixas, pyra, Cydonia commendat, pinguia vitare jubet *Hebenſtreit. de fœmin. partur. & obſtetric. part. 1. artic. 1.* Cibis boni ſucci modicè ac ſæpius offeren-

ferendis recreari præcipit *Feyneus practic. l. 4. c. 62.* Reliquæ res non-naturales quomodo dirigendæ ac earum usus moderandus, ex supra dictis causis facilè patet.

Tantum !

Sit DEO Gloria.

EVomat *ignitos, gelidos, Morbona tremenda*
Morbos: Prudenter Tu medeare Gravis.

Hortatur

PRÆSES.

NAuseat ad Cybeles Vomitum, quo polluit auras
Progenies Matris, viscera avara timens.
Quæ prius Ambrosiam, nunc eructare venenum
Ubera sicca stupet, quin gemebunda fugit,
Forsan & Hippocratis, quod plenis evomit atrum
Emulsum buccis, sorbet anhela sitis.
Non huic quæ geminat ructus, vomitoria debes,
Sed gravidæ Vomitus, carcere claudis acri.
Scilicet hæc Miseræ Matris, qualem æquoris æstus
Consimilem jactant, vincula venter amat.
Poscit opem pallor, rorantia lumina frontis
Implorant, fracto guttura rauca sono.
Succurre, & facies roseo suffusa rubore
Grataque Te Medicum garrula turba, beet.

ita
Nobili & Clarißimo Dn. Respondenti
gratulabundi acclamant,

Commensales.